

Königliches

Gymnasium zu Allenstein.

Zu der

Dienstag den 13. April

stattfindenden

öffentlichen Prüfung aller Klassen

ladet

ergebenst in die Turnhalle ein


Dr. Otto Sieroka,

Direktor.

Inhalt:

Allenstein.
Druck von A. Harich.
1886.

1886. Progr. No. 1.



De sermone in
A. Persii Flacci et D. Iunii Iuvenalis satiris figurato*).

Pars prior.

Scripsit

H. Jattkowski.

Non facile ullus invenietur poeta, cuius dicendi genus tam quaesitum atque obscurum sit, quam sermo in A. Persii Flacci satiris. Qui tropis figurisque est confertissimus ideoque non raro ad summum perductus tumorem; neque enim permultis modo verbis Persius usus est translatis, verum imagines etiam a rebus petitas diversissimis ad sermonem ornandum adhibuit quam plurimas**). Sed id non mirandum est. Nam Persium non esse poetam, qui fuderit carmina ingenio poetico, sed hominem, qui vitiorum libidinumque aetatis suae indignatione exacerbatus exigua indole usus sit poetica ad hominum mores castigandos pravissimos perversosque, qui versus fecerit multum limandos non sine labore, qui, ut ipsius utar verbis, semipaganus ad sacra vatum carmen attulerit suum (prol.), quis est qui nesciat? Eo accedit, quod Persii satirae non versantur in tractanda vitae consuetudine, qualis cotidie nobis occurrit, sed declamationes sunt de Stoicorum sententiis atque praeceptis versibus inclusae.

At D. Iunius Iuvenalis res satirarum e vita sumpsit cotidiana atque omnia quae in communi rerum usu cognoverat vitia, omnem aetatis suae perversitatem nequitiamque, coloribus illustrata pinguissimis, hominibus subiecit sub oculos. Quas ad satiras componendas Iuvenalis item impulsus est indignatione, non ingenio quodam poetico, ut ipsius testantur verba (I 79):

„Si natura negat, facit indignatio versum“.

Iuvenalis non est poeta, sed rhetor, et eius elatio non poetarum, sed illa ex pompa rhetorum; itaque sermo saepe tumidus atque inflatus tropis figurisque abundat variis***). Dictio autem contorta atque saepius quasi altius exaggerata, quae Persii propria est, in Iuvenalis satiris — paucis locis exceptis — non invenitur.

Quem sermonem Persii et Iuvenalis figuratum animo perlustrantes intellegemus, tropos plurimos sumptos esse a rebus, quae in conspectu hominis sunt, seu ab homine ipso seu a natura iisque, quae in ea nobis occurrunt. Quos inter tropos imprimis **metaphora** vel **translatio** et **metonymia** vel **denominatio** commemorandae sunt, quae in Persii et Iuvenalis satiris inveniuntur plurimae atque permultum ad sermonem conferunt variandum. Praeterea eae notiones respiciendae videntur, quae non uno atque proprio expressae sunt vocabulo, sed figurate explicatae ideoque compluribus verbis circumscriptae **(periphrasis vel circumscriptio)**.

Quas dicendi figuras tractantes simul nostrum spectemus sermonem atque videamus, quatenus mos loquendi Germanicus congruat cum Latino. —

*) Ex editionibus satirarum Persianarum et Iuvenalianarum maioribus praesto mihi fuerunt **Auli Persii Flacci satirarum liber. Cum scholiis antiquis edidit Otto Jahn. Lipsiae, 1843.** et **D. Iunii Iuvenalis satirae cum commentariis Caroli Frid. Heinrichii. Accedunt scholia vetera. Voll. II. Bonnae MDCCCXXXIX.** Commentariis his editionibus additis in interpretando praecipue usus sum.

**) Teuffel: Gesch. d. röm. Lit.[3] p. 680: „Seine Sprache ist durch die gesuchte Kühnheit seiner Metaphern, Tropen und Beiwörter, die Seltsamkeit seiner Zusammenstellungen, die Manier des Hineingeheimnissens . . . zu einer fast unleidlichen Dunkelheit gelangt.“

***) Teuffel l. c. p. 758: „Überhaupt haben den Iuvenal die Gewöhnungen der Rhetorschule auch zur Satire begleitet. — Daher auch der immerfort gehobene Ton, die künstliche Gedrängtheit der Sprache neben rhetorischer Unersättlichkeit in Häufung der Wendungen und Beispiele.“

Caput I.
De metaphoris.

Tropum, quae dicitur Latine translatio, Graece *μεταφορά*, Aristoteles, translationi metonymiam subiungens, his definit verbis (Poët. 21,4): „*μεταφορὰ δ'ἐστὶν ὀνόματος ἀλλοτρίου ἐπιφορὰ ἢ ἀπὸ τοῦ γένους ἐπὶ εἶδος, ἢ ἀπὸ τοῦ εἴδους ἐπὶ τὸ γένος, ἢ ἀπὸ τοῦ εἴδους ἐπὶ εἶδος, ἢ κατὰ τὸ ἀνάλογον.*“ Quam definitionem Cicero non sequitur; qui metaphoram seiungens a metonymia his ad notionem translationis explicandam utitur verbis (orat 92): „Tralata ea dico . . ., quae per similitudinem ab alia re aut suavitatis aut inopiae causa transferuntur.“ Longius disserit de ea figura Quintilianus in l. VIII 6,4 sq., ubi eodem fere modo quo apud Ciceronem vis translationis definitur. Est igitur metaphora ea dicendi figura, qua nomen aut verbum ab ea re, cuius proprium est, depromptum usurpatur de ea re, cui proprium deest aut translatum proprio est aptius. Ex quo intellegi potest, metaphoram consistere in simili contracto atque in usu versari aut suavitatis et orationis variandae ornandaeque aut inopiae et necessitatis causa, quia multae notiones propriis indigent vocabulis. Sed cavendum est, ne importunae sint translationes, quales inveniuntur in Persii et Iuvenalis satiris; nam „ut modicus . . . atque opportunus usus illustrat orationem: ita frequens et obscurat et taedio complet“ (Quintil. VIII 6, 14)*. Saepe metaphora maxime propinqua est metonymiae. —

Transeamus nunc ad locutiones translatas, quae in Persii et Iuvenalis satiris a rebus petitae sunt diversissimis, tractandas; atque primum quidem respiciamus metaphoras **a corpore humano eiusque partibus** depromptas. Cuiusmodi translationi occurrimus in Pers. prol. 11: „Magister artis ingenique largitor venter“, ubi substantivum „venter“ positum est pro „fames“, „egestas“. Nos in vulgari loquendi genere similibus translationibus substantivi „*Bauch*“ uti possumus**). — Nonnullae corporis humani partes pro animo usurpatae sunt: ut „iecur“ invenitur ad significandum animum seu eius affectus in compluribus locutionibus translatis (Pers. I 24: rupto iecore; V 129: in iecore aegro; Iuv. VI 648: rabie iecur incendente), quia iecur antiquis sedes animi habebatur affectuumque. Eadem in opinione posita est locutio, quae ad iram exprimendam quam maximam invenitur in Iuv. s. I 45: „quanta siccum iecur ardeat ira“; porro VII 117: „Rumpe . . . tensum iecur“, quod dictum est de causidico maxima contentione agenti***). — Praeterea pro animo in usu sunt vocabula „praecordia“ (Pers. I 117; V 22; Iuv. VI 621; XIII 181; XIV 35) et „pectus“ (Pers. II 53; 74; Iuv. VI 93; 96; VII 65); nam ex nonnullorum sententia animus eiusque affectus sub pectore latebant in praecordiis. Quamobrem in Iuv. s. I 167 de homine culpae conscientia cruciato dictum est: „tacita sudant praecordia culpa“. Apud nos „*Brust*“ item in usu versatur pro „*Gefühl*“, „*Empfindung*“ (cf. Sanders l. c. sub „*Brust*“ 5). — Translatio sermone in Germanico non usitata est: „Cor iubet hoc Enni“ (Pers. VI 10); ubi „cor“ significat ingenium, cum antiqui posuerint in illo prudentiam atque intellegendi vim. Qua de causa inveniuntur in Iuv. s. VII 159 verba: laeva in parte mamillae nil salit Arcadio iuveni“ i. e. non in eo prudentia est, stultus est. Contra communis est metaphora substantivi „bilis“ pro ira (Pers. III 8; IV 6; V 144; Iuv. V 159: „effundere bilem“, cui locutioni respondet nostrum „*seine Galle ausschütten*“; VI 433; IX 187; XIII 143; XV 15). — Pro animo invenitur etiam „fibra“ (Pers. I 47), quae extrema pars iecoris est, ubi sensus sedem habet animusque. Aliter translatum est substantivum „fibra“ in locutione „fibris increvit opimum pingue“ (Pers. III 32) i. e. perdidit sensum; in fibris enim, ut supra dictum est, potissimum inest vis sentiendi; pinguedo autem nimia, quae vim atque robur frangit perditque, fibris increscens etiam, ut harum vis sentiendi conficiatur, efficit. Simili modo in sermone Germanico sensus substantivo „*Nerv*“ exprimi potest. — Pers. I 12: de homine, qui risum cupiens tenere nequit, usurpatur locutio translata: „Sed sum petulanti splene

*) cf. illud Niebuhrii (Brief an einen jungen Philologen): „Ganz besonders sieh den Metaphern genau zu: was darin nicht ganz tadellos ist, ist unausstehlich“.

**) cf. Sanders „Wörterbuch der deutschen Sprache“ sub „*Bauch*“ 2.

***) Quatenus in sermone Germanico substantivum „*Leber*“ usurpatum sit ad affectus significandos animi, cf. Sanders l. c. sub „*Leber*“ 1a.

(i. e. petulanti animo, petulantia) cachinno; splene homines ridere antiqui putabant, ut notat scholiastes. — Pers. I 42: „Os populi meruisse"; „os" in usu est pro fama. Nos eandem habemus translationem: *„Leumund"* (= *„Leutmund"*; ahd. (h)liumunt, mhd. liumunt, leumunt*). Eadem qua nos utimur metaphora in Iuv. s. VII 167 de compluribus dictum est „uno conclamant ore" pro „simul conclamant". — Pers. I 115: a dentibus petita est locutio „genuinum frangere in aliquo" i. e. irridere aliquem acerbis facetiis. Nos simili metaphora vulgariter dicere possumus: *„gegen jem. sehr bissig sein"*. — Porro ad irrisionem significandam Persius mutuatus est translationes a naribus, quod antiquis signum habebatur despicientiae fastidiique; ut „naribus indulgere" (I 41) dictum est pro „illudere". I 118: „excusso suspendere naso aliquem" usurpatum est pro „deridere aliquem versutum in modum"; quacum locutione comparari potest nostrum *„die Nase über jem. hoch heben, rümpfen"*. Qua in translatione explicanda est notio „excussus" i. e. emunctus, posita pro „prudens"; antiqui enim muco et pituita ingenii acumen hebetari et in animi ignaviam stultitiamque declinare existimabant; itaque muco et pituita liberari significabat prudentem fieri. Huc pertinet dictio Iuvenaliana „sorbere aëra" pro „irridere" (VI 306: qua sorbeat aëra sanna), quem gestum ad contemptionem significandam in naso contrahendo positum esse verisimile est. — Aliter substantivum „nasus" usurpatum est in locutione translata „vigilanti stertere naso" (Iuv. I 57); quo loco nasum sedem haberi observationis manifestum est**) (nostrum *„feine Nase"* vel *„Spürnase"*). — Praeterea nasus ad affectatam vocem exprimendam in usu est apud Pers. I 33: „balba de nare loqui" i. e. litteras dicendo obscurare, quod nos significamus verbo *„näseln"*; simul „balbus" a lingua ad nasum translatum est atque significat vocem, quae rupta et abscissa venit ex ore. Translatione item a lingua petita apud Pers. II 9 dictum est „sub lingua immurmurare" pro „obscure loqui" i. e. litteras opprimere, ut verba, lingua palam dentes et palatum feriente, tamen ex ore veniant non intellegenda, sed maneant quasi sub lingua; quod nos significare solemus locutione *„in den Bart hineinbrummen"*. — Metaphora linguae pro eloquentia (Iuv. VII 189) in sermone et Latino et Germanico usitatissima est. — Pers. VI 17: „aliquid naso tangere" invenitur pro „aliquid accurate et anxie inspicere"; nos vulgariter eadem utimur imagine. — Eadem qua nos utimur metaphora dictum est apud Pers. I 17 „guttur" pro voce, quae sedem habeat in gutture. Alia translatione Iuvenalis guttur posuit pro voracitate (II 113: memorabile magni gutturis exemplum); nostrum *„weite Gurgel"*. Porro in Iuvenalis satiris pro voracitate atque luxuria translate usurpata sunt „gula" (I 140; V 94; XI 39), cui respondet nostrum *„Schlund"*, et „palatum" (XI 11; nostrum *„feiner Gaumen"* pro *„Genusssucht"*, *„Schwelgerei"*). — Quo loco commemoretur locutio „sorbere salivam Mercurialem" (Pers. V 112), posita pro „cupidissimum esse lucri"; porro translatio salivae pro sapore (Pers. VI 24: turdarum nosse salivam). Quae metaphorae, in sermone Germanico similiter usitatae, in eo positae sunt, quod, cum homines vel rei alicuius sunt avidissimi vel delectantur sapore ciborum suavissimo gratissimoque, saepe in ore multa oritur saliva. — Translatione a labris sumpta in Pers. s. I 105 de carmine dictum est „hoc natat in labris" pro „hoc promptum est", „hoc sine labore efficitur". Similis est translatio Germanica: *„das schwebt mir auf den Lippen"*. — Iuv. I 160: „digito compesce labellum" pro „silentio utere", „conticesce"; quae translatio, apud nos item usitata, nititur in eo, quod, quibus quid reticere est in animo, digitum ponere solent in labris. — Iuv. III 185: „clauso labello" invenitur pro „silentio" (nostrum *„mit verschlossenem Munde"*). — A barba assumptus est tropus „vellere barbam" pro „maledictis vexare" (Pers. I 133 et II 28); barbam enim vellere alicuius signum maximae erat despicientiae. Translatione item a barba sumpta in Iuv. s. VIII 166 dictum est „cum prima resecentur crimina barba" pro „removeantur crimina primis annis aetatis" i. e. mature. — Porro translationes inveniuntur a capillo petitae; ut apud Pers. I 9 usurpatum est substantivum „canities" ad significandum dissolutum corporis statum, quia homines libidinibus luxuriaeque dediti brevi canescere vulgo dicuntur. Cuiusmodi homines in Pers. s. I 56 significantur adiectivo „calvus", quia ante tempus calvere solent, et I 22 adiectivo „vetulus", cum ii, qui effeminato mori vivendi libidinibusque dediti

*) cf. Sanders l. c. sub *„Leumund"*.
**) Accuratius disserit de l. c. Heinrich II 52.

sunt, ante tempus fiant senes. In sermone Germanorum vulgari eaedem fere locutiones usitatae sunt. — In Iuv. s. XII 32 („prudentia cani rectoris") et XIV 10 („cana monstrante gula") adiectivum „canus" positum est pro „senex". — A capillis praeterea sumpta est locutio translata „capillato diffusum consule (sc. vinum)" pro „vetus i. e. bonum vinum" (Iuv. V 30). Antiquissimis enim temporibus Romani capillos atque barbam non tondebant*); qua de causa l. c. capilli ad antiquitatem significandam usurpati sunt. — Capilli barbaque vel ad mores severos, quales antiquissimis fuerunt temporibus, adhibentur exprimendos; ut apud Iuv. XVI 31 inveniuntur verba „dignum barba dignumque capillis maiorum" pro „incorruptum religiosumque". — Pers. VI 31: substantivum „costa" ad navem translatum est (nostrum „*Schiffsgerippe*", „*Schiffsrumpf*"). — Nonnullis locis (Pers. I 20 et IV 35; Iuv. VI 314) substantivum „lumbus" — lumbi habebantur sedes sensus libidinis — positum est pro partibus obscenis. Quo loco commemorandum est nomen „testiculus" usurpatum pro vi et robore (Pers. I 103). — Translatio in sermone et Latino et Germanico usitatissima est nominis „pes" pro parte versus. Aliter Iuvenalis vocabulo „pes" usus est in sat. X 5: „dextro pede" i. e. prospero eventu; simili translatione nos dicimus „*einen glücklichen Schritt thun*". Quo loco mentio fiat metaphorae „recto vivere talo" i. e. honeste vivere (Pers. V 104). — Pers. I 103: „vena" metaphorice significat partem alicuius rei minimam in locutione „vena testiculi" i. e. minima roboris pars; nos: „*ein Fünkchen Kraft*". Aliter vena translata est apud Pers. II 66 et Iuv. IX 31, ubi de metallo usurpatur eadem metaphora, qua Germanice dicitur „*Metallader*"; aliter in Pers. s. VI 72, ubi vena posita est pro membro virili, quod Iuvenalis (IX 34) significat substantivo „nervus". Praeterea in Iuv. s. VII 53 („cui non sit publica vena") vena invenitur ad significandam ingenii facultatem atque indolem; nostrum „*Dichterader*". — Pers. I 76: adiectivum „venosus" metaphorice positum est pro „inaequalis" („venosus liber Atti"); quae metaphora profecta a corpore, in quo venae eminentes efficiunt iniquitatem, Germanice usurpari non potest. — Translatio ab unguibus sumpta apud Persium (I 106: demorsos sapit ungues) in usu est ad significandum opus maximo labore atque contentione factum. Eodem pertinet „pluteum caedite" (Pers. I 106). Nam qui studio deditus est acri atque omni intentione de re aliqua meditatur, saepe ungues rodit et pluteum caedit. Simili translatione nos opus maxima diligentia atque labore factum vulgariter significare solemus: „*es riecht nach der Öllampe*". — Metaphora sermoni Latino et Germanico communis est nominis „pulpa" (i. e. caro sine ossibus, mollis igitur) pro „improba pulpa", „libido (Pers. II 63). Iuv. III 109: „inguen" invenitur ad libidines significandas in locutione „ab inguine tutum". — Pers. III 30: „te intus et in cute novi" pro „te penitus novi"; eadem metaphora Germanice dicitur „*jem. in- und auswendig (d. h. durch und durch, sehr genau) kennen*". Quam notionem Iuvenalis his exprimit verbis: „aliquem nosse tanquam ungues digitosque suos" (VII 232).

Sequantur nonnullae locutiones Iuvenalianae, quarum similes apud Persium non inveniuntur metaphorae. Huc pertinet nomen „vesica", usurpatum pro cunno in sat. I 39 et VI 64 („Tuccia vesicae non imperat" i. e. libidine oppressa stuprum facit). — II 8: frons significat faciem vel speciem („frontis nulla fides"). XI 204: „salva fronte" positum est pro „sine pudore", cum pudor appareat in fronte eluceatque. — III 72: „viscera magnarum domuum" dictum est pro „amici magnarum domuum intimi". Simile est nostrum „*die Seele des Hauses*". — III 131: „claudere latus alicuius" in usu est pro „a latere alicuius incedere", l. c. dictum de clientibus dominum comitantibus. — In sat. XIII 16 Iuvenalis usus est locutione „post terga reliquit sexaginta annos" i. e. sexaginta annos natus est. Similes sunt locutiones Germanicae „*sechzig Jahre hinter sich haben*" et „*sechzig Jahre auf dem Rücken haben*". — Eadem quae apud nos in usu est metaphora in sat. III 236 „caput", quod saepius fontem significat fluviorum, usurpatum est de origine morbi („Inde caput morbi"; nostrum „*Quelle der Krankheit*"). XV 23: locutio translata „vacui capitis populum" posita est pro „stultum populum"; nos: „*leerer Kopf*". Translatio ad stupiditatem significandam similis invenitur in sat. XIV 57: „vacuum cerebro caput". — In sat. V 62 et VI 168 Iuvenalis „supercilium", quae sedes habebatur insolentiae, posuit pro superbia. — Metaphora et Latine et Germanice usitatissima est substantivi „sanguis"

*) cf. Marquardt „Das Privatleben der Römer" II 580.

pro prosapia (VIII 2; 27; 42; XI 62). — Quo loco commemoremus locutionem, quae ad haeduli mollitiam significandam usurpata est in s. XI 68: „plus lactis habet, quam sanguinis". Nos de homine, qui specie est tenera mollique, in sermone vulgari eadem utimur translatione. — Saepius metaphorice positum est nomen „vulnus", ut invenitur pro „animus offensus", „dolor" (VIII 98: neque vulnus erat par damnorum) et pro „damnum" (XIII 12). Praeterea „vulnus" usurpatum est de simultate inter duas urbes inexpiabili in s. XV 34 („numquam sanabile vulnus"). — De sociis Romanorum expilatis Iuvenalis usurpavit in s. VIII 90 translationem a corpore humano petitam „Ossa vides regum*) vacuis exsucta medullis". Quo pertinet nostrum „*jem. das Mark aussaugen*". — VI 122: „nuda papillis constitit auratis"; quo loco „papillis auratis" (Germanice dici potest „*mit vergoldeter Brust*") positum est pro catellis auratis, quae de collo dependebant in mammas. Quantum coniectura augurari possum, catellae propter similitudinem singularum quibus continebantur particularum cum papillis hoc substantivo significatae sunt. — Nomen „iugulum" translate positum est pro „caedes", „parricidium" in s. VIII 218 („Electrae iugulo se polluit"). — Restat translatio sermoni Latino et Germanico communis, qua Iuvenalis in s. XII 76 notionem „bracchia" usurpavit ad significandas partes molis singulas. —

Deinceps dicatur de Persii et Iuvenalis metaphoris ab **statu hominum et condicione necessitudineque** assumptis. In Pers. s. I 11 „patruus", qui est patris frater, significat hominem severe mores inspicientem atque castigantem; patrui enim filios fratrum parentum indulgentia omissa acriter custodiebant, ut eorum severitas caderet in proverbium**). Simili translatione dictum est in Pers. s. VI 66 „dicta paterna" pro „dicta severa", quod patres filios malos admonitionibus corrigere student severis; nostrum „*väterliche Worte*". — Pers. V 92: „aviae" („veteres avias tibi de pulmone revello") significant errores aviarum proprias, quibus animi puerorum teneri imbui solent; nos dicimus: „*Altweibergeschichten*". — Pers. VI 57: locutio „progenies terrae" usurpata est de homine ignobili atque obscuro. Cuiusmodi homines, qui Latine ex proverbio „terrae filii" vocabantur, Germanice significari possunt simili nomine „*Erdengezücht*". Iuvenalis hominem ignobilem vocat fraterculum Gigantis in s. IV 98 („Unde fit, ut malim fraterculus esse Gigantis"). — Iuv. VIII 62 sq.: substantiva „posteritas", „maiores", „umbrae" (= mortui) ab hominibus ad equos translata sunt. — Iuv. VI 40: substantivum „captator", de hominibus solis usurpandum, translatum est ad macellum („et captatore macello"), cuius oblectamentis homines non minus quam aliis rebus donandis captabant hereditates. — Ab ebrietate, quae faciat homines persaepe insanos, adiectivum „ebrius" translatum est ad carmen significandum insanum (Pers. I 51: Ilias Atti ebria). Verbum „inebriare" metaphorice usurpatum est apud Iuv. IX 113 in locutione „inebriare aurem" i. e. garrulitate vexare aliquem***). — Iuv. V 10: „ieiunus" positum est de fama magna, quae urget („ieiuna fames"). Alio loco (Iuv. XV 51) hoc adiectivum ab homine ad affectum eius translatum est in locutione „ieiunum odium" i. e. odium ieiunorum hominum. — Similiter in Iuv. s. XIII 99 verbum „esurire" translatum est ab homine esurienti, cui ramus Pisaeae contigit olivae, ad ramum ipsum („esuriens Pisaeae ramus olivae"). – Pers. I 106: „sapere" dictum est de carmine in locutione supra commemorata „demorsos sapit ungues". I 11: „sapere" invenitur pro „similem esse" („sapimus patruos"). – Eadem qua nos uti possumus metaphora adiectivum „supplex" in Pers. s. II 35 ab homine ad votum translatum est: „supplice voto" i. e. precibus infimis. Nos: „*fussfällige Bitten*". — Iuvenalis adiectivum „pervigil" usurpavit in s. VIII 158 de popinis („pervigiles popinas" i. e. nocte apertas) et in s. XV 43 de toro, qui per totam noctem in usu est („Pervigilique toro"). — Iuv. III 275: adiectivum „vigil" ab hominibus vigilibus, qui nocte versantur post fenestras, translatum est ad fenestras ipsas („Nocte patent vigiles, te praetereunte, fenestrae"). Ib. 277: „Ut sint contentae (sc. fenestrae) patulas defundere pelves". — Similes metaphorae sunt in Iuv. s. XII 82: „garrula pericula" i. e. pericula materiam praebentia garrulitati; XIII 93: „Isis . . . irato feriat mea lumina sistro" pro „Isis irata

*) cf. Heinrich ad l. c.
**) cf. Hor. III 12,3: patruae verbera linguae; — sat. II 2,97: iratum patruum: — sat. II 3,88: ne sis patruus mihi.
***) Forcell.; garrulitate obtundere, ut ebrii solent.

feriat sistro"; V 3, ubi „iniquus" ab hominibus inter cenam iniquis translatum est ad mensas ipsas („iniquas Caesaris ad mensas"); I 30: „quis iniquae tam patieus Urbis", ubi „iniquus" translatum est ad urbem, in qua non exercetur iustitia. — Iuv. VIII 59: „raucus" a circi spectatoribus, qui maxima voce clamantes fiunt rauci, ad circum translatum est („exsultat rauco victoria circo"); qua metaphora uti nobis item licitum est. — Iuv. II 55: „praegnans" in usu est pro „plenissimus", „turgens" in locutione „tenui praegnantem stamine fusum". — Item ab homine ad res translatum est „respondere" in Pers. s. III 22, ubi de fictili, quod percutitur, dictum est pro „sonare". Iuvenalis utitur in s. I 12 pro „resonare" verbo „clamare" („marmora clamant") et pro „sonitum edere" verbo „exclamare" in s. VI 423 („summum dominae femur exlamare*) coegit"). — Persius in s. III 39 verbo „gemere" de aere usus est. Aliter „gemere" positum est apud Iuv. II 90 in locutione „nullo gemit hic tibicina cornu" ad modos tibiae Phrygiae feros significandos (= non tibia canit turbate dissoluteque). Nos in sermone vulgari verba *„seufzen"* et *„heulen"* simili translatione usurpare possumus. — Iuv. II 30: „leges revocabat" i. e. renovabat. I 27: „revocare" usurpatum est pro „attrahere", „retrahere" („humero revocante lacernas"). — Iuv. II 35: „contemnere" ab hominibus vitiis imbutis ad vitia ipsa translatum est („vitia . . . contemnunt Scauros"). Simile est nostrum *„das Laster triumphiert über u. s. w."* Item, quod de homine corrupto dicendum erat, positum est de vitio ipso in Iuv. s. XIV 109 et 110:

„Fallit enim vitium specie virtutis et umbra,
Cum sit triste habitu vultuque et veste severum".

Ib. 63: „Vox domini furit" i. e. dominus magna furit voce. Quo loco commemoretur locutio Iuvenaliana (XV 100) „vacui ventris furor"; simile est nostrum *„rasender Hunger"*. — Iuv. II 37: „dormire" dictum est de lege, quae neglegitur („Ubi nunc lex Iulia? dormis?"). Nos: *„Das Gesetz ist eingeschlafen"*. — Iuv. III 16: „mendicare" ab hominibus translatum est ad silvam mendicorum plenam („mendicat silva"). — Pers. III 83: „somnium" significat aeque ac sermone in Germanico opinionem inanem vanamque. — Cum sermone Germanico item consentit translatio vocabulorum „masculus" in Pers. sat. V 144 („mascula bilis" i. e. robusta bilis) et „mas" in s. VI 4 („marem strepitum"; nostrum *„mannhafter Klang"*). — Metaphora usitata est substantivi „deliciae", quod imprimis de mulieribus usurpatur dilectis aeque ac nostrum *„meine Wonne"*, *„meine Freude"*. Quo substantivo Iuvenalis utitur de viro in s. XIII 140 contemptione quadam atque despicientia („Te nunc, delicias, extra communia censes ponendum?"). — Metaphora Germanice item usitata in Iuv. s. XIII 224 „murmure caeli" pro tonitru et ib. 225 „ventorum rabie" pro magna ventorum vi positum est. — In Iuv. s. VII 110 („venit ad dubium grandi cum codice nomen") „nomen significat debitorem, quod debitum referebatur in codicem sub debitoris nomine. — Iuv. XIII 198: conscientia vocatur „testis" („suum gestare in pectore testem"). VIII 149: „sidera testes". —

Quibus metaphoris adiciatur copia quaedam vocabulorum atque primum quidem verborum, quae **ab actionibus et motibus animalium propriis** ad res translata sunt diversissimas. Quo in numero permultae translationes sunt, quae usitatissimae partim usurpantur de rebus imagine, in qua natae sint, elapsa,**) partim de animo eiusque exercitationibus, quae suis careant vocabulis.***) In Pers. prol. „lambere" dictum est de hedera pro „se circumvolvere" („imagines lambunt hederae"). Imagines enim scriptorum praeclarorum, in bibliothecis cum operibus positae, hedera coronabantur, quae se circumvolvens quasi eas lambebat. — In prol. 11 („negatas sequi voces") et in s. V 14 („verba togae sequeris") „sequi" positum est pro „petere", „studere"; simili translatione nos dicimus *„auf Worte ausgehen"*. — Pers. I 6: „accedere" pro „assentiri"; nos: *„jem. beitreten"*. — Pers. I 18: „frangere" pro „debilitare"; item V 50; 59; Iuv. II 111 („fracta voce"); XIV 161 („fractis aetate"); eadem translatio usurpatur in sermone Germanico. Iuv. VII 86: „cum fregit subsellia versu" metaphorice usurpatum

*) cf. Heinrich ad l. c.

**) Recte dicit L. Genther (Über den Gebrauch der Metaphern bei Iuvenal. — Progr. Wittenberg 1878) p. 1: *„Bei einer grossen Anzahl von Metaphern wird aus dem zu Grunde liegenden Bilde eine Bedeutung gefolgert und festgehalten, während das ursprüngliche Verhältnis vollständig aus dem Bewusstsein entschwindet"*.

***) Genter l. c. p. 2: *„Für geistige Eigenschaften und Thätigkeiten hat die Sprache gar keine eigentümlichen Ausdrücke, sondern sie sind alle von verwandten körperlichen entlehnt"*.

est ad contentionem significandam recitatoris maximam; nam qui recitat, saepe vocem urget ultra vires atque ita intendit, ut magno sonitu subsellia quasi frangi videantur. Eodem pertinet locutio „assiduae ruptae lectore columnae" (Iuv. I 13). Nos ad vocis contentionem illustrandam locutione uti solemus „*die Wände erzittern*". — Pers. I 20: „trepidare" positum est pro „animum ostendere commotum". Porro „trepidare" invenitur pro „timere aliquem" (Iuv. VIII 152) et pro „timere, ne" (Iuv. I 97 et XIV 64). — Pers. I 21: „intrare" de carminibus usurpatum est libidinem excitantibus („carmina lumbum intrant"). Idem verbum in Pers. s. III 2 positum est de luce, quae per fenestras venit („mane fenestras intrat"). Similes translationes verbi „*eindringen*" in usu sunt. — Iuv. II 20: „verbis invadere" pro „vituperare", „animadvertere"; nos: „*gegen jem. einschreiten* (sc. *mit Worten*)". — In s. I 35 Persius locutione „supplantat*) verba" utitur pro „verba blaeso enuntiat ore"; nostrum „*radbrechen*". — Pers. I 43: „metuere" ab animalibus ad res translatum est („nec scombros metuentia carmina"); qui usus nobis item licitus est. — Pers. I 62: „occurrere alicui rei" pro „praecavere ab aliqua re". Eodem pertinet locutio „Venienti occurite morbo": Pers. III 64; nostrum „*einer Sache entgegentreten*". — Translatione usitatissima „obstare" in usu est pro „impedire", „obesse" (Iuv. III 60 et 164; XI 15). Quo loco mentio fiat verborum „Felicia tempora, quae te moribus opponunt! (Iuv. II 38), quibus haec continetur sententia: „felicia tempora, quae te habent censorem atque disciplinae magistrum!" — Pers. I 77: „morari" ad animum translatum significat „delectando morari", „maxima afficere delectatione"; simile est nostrum „*fesseln*". — Pers. I 83: „capiti pericula cano pellere"; nos: „*Gefahren vertreiben*". — Pers. I 85: „radere" positum est pro „summa arte expolire", quod Germanice exprimitur verbo „*feilen*". Aliter „radere" usurpatum est in locutione „radere auriculas" (Pers. I 107) i. e. aliquem verbis perstringere, quod nos similiter exprimere possumus verbis „*unangenehm berühren*"; aliter in Pers. s. V 15: „pallentes radere mores" i. e. obiurgare (nos: „*Sitten geisseln*"), quod Iuvenalis in s. X 292 significat verbo „corripere" (simile est nostrum „*jem.* vel *etwas herunterreissen*")· Porro Persius (III 50) verbo „radere" usus est de alea, quae paulatim pecuniam imminuit, in locutione „damnosa canicula quantum raderet"; nos vulgariter dicere possumus „*Geld abzwacken*". Quae notio ab Iuvenale expressa est verbis „praemordere" (VII 218) et „frangere sibi" (ib. 219). — Pers. I 91: „incurvare" dictum est de animo („me volet incurvasse querela"); nostrum „*niederbeugen*". — Metaphorice Persius utitur verbo „secare" (I 114) pro „verbis secare" i. e. obiurgare („Secuit Lucilius urbem"); simili translatione vocabula Germanica „*schneiden*" et „*schneidig*" usurpari possunt. Metaphora usitata Iuvenalis in s. X 316 posuit „secare" pro „vulnerare" („secat ille cruentis verberibus"). Iuv. VIII 166: „resecare crimina" usurpatum est pro „tollere, removere crimina", quod nos verbo „*auswetzen*" significare possumus. — Pers. II 2: „labi" usurpatum est de annis praetereuntibus, quod Iuvenalis (VII 242) significat verbo „se vertere"; eaedem translationes Germanice usurpari possunt. In s. VI 203 Iuvenalis verbo „labi" usus est de officio, quod est in exitu („labente officio"). Huc pertinent versus Iuvenaliani (IX 125 sq.):

„ . . . Festinat enim decurrere velox Flosculus angustae miseraeque brevissima vitae Portio", ubi „festinat decurrere" et de flosculo, qui brevi marcescit, et de vita illius more celeriter evanescenti translate positum est; nos de vita item dicere possumus: „*es enteilt schnell*". Ib. 129: „obrepit non intellecta senectus"; nos: „*das Alter beschleicht uns unerwartet*". — Iuv. X 125: in locutione „divina Philippica, . . . volveris a prima quae proxima" verbum „volvi" dictum est de oratione pro „sequi" (nostrum „*folgen*"); simul „volvi" ad orationis Philippicae secundae, quod veteribus habebatur dicendi exemplum, granditatem significandam positum esse videtur (Germanice: „*sich entrollen*"). Praeterea „volvere" in usu versatur translato apud Iuv. VI 452 pro „acriter studere" („volvitque Palaemonis artem"). Similis est translatio verbi „volutare" (Iuv. I 168; nostrum „*überlegen*"). — Metaphorae in sermone Latino usitatissimae sunt hae: „tollere" pro „finem facere alicuius rei" (Pers. II 7), „ponere" (Iuv. XI 76: posuere pericula; XIII 11: ponamus nimios gemitus), „deponere" (Iuv. I 133: votaque deponunt), „dirimere" (Iuv. VI 164: bellum dirimente Sabina); Germanice eaedem vel similes translationes usurpari possunt. — Pers. II 13: „impellere", quod verbum proprium

*) cf. O. Jahn ad l. c.

est eorum, qui in via praecedentes et obstantes incitant, usurpatum est de eo, qui aliquem sequitur heres („quem proximus heres impello"). Alia est translatio verbi „impellere" in Pers. s. II 21: Iovis aurem impellere tentas". — In usu translato versatur „stimulare" (Iuv. VII 20) et „stimulos admovere" (Iuv. X 329: „stimulos odio pudor admovet"); quacum metaphora ab iugo desumpta consentit nostrum „*jem. anstacheln*". — Translatio usitatissima est verbi „praeponere" pro „aliquid melius habere" (Pers. II 18; Iuv. III 5; III 24: proponere). - Pers. II 36: verbum „sperare" locutione circumscriptum est metaphorica „spem mittere in", cui respondet nostrum „*die Hoffnung schweifen lassen*". — Iuv. XIII 114: „mittere vocem" pro „loqui". — Iuv. I 162: locutio „Aeneam Rutulumque ferocem committas" in usu est pro „res Aeneae Rutulique ferocis describas". VI 436: „committere" idem significat quod „conferre" i. e. animo committere". — In s. II 38 Persius verbo „rapere" metaphorice utitur de vehementi multarum puellarum in unum studio atque amore („puellae hunc rapiant!"), quod nos exprimere solemus verbis „*sie reissen sich nach ihm*". Quo verbo Iuvenalis simili translatione utitur in s. X 332, ubi ad libidinem Messalinae significandam maximam de eo, cuius amore illa exarsit, dictum est „rapitur . . . Messalinae oculis"; similis est dictio nostra vulgaris „*jem. mit den Augen verschlingen*". — Iuv. XV 39: „rapienda occasio"; nos: „*die Gelegenheit ist zu ergreifen*". Pers. V 142: „rapere" positum est pro „celeriter navigare" („Aegaeum rapias"), quod apud Iuv. XIV 279 verbo expressum est „transilire" (classis . . . aequora transiliet"). Simili in usu est verbum „pervolare" in Iuv. I 60 („pervolat . . . Flaminiam") et VI 398 („pervolet urbem"); eodem modo usurpatur nostrum „*durchfliegen*". Porro commemoranda est translatio pervulgata verbi „avolare" (Iuv. VI 226) pro „celeriter abire" et verbi „percurrere" (Iuv. X 225) pro „celeriter narrare vel enumerare". — Pers. II 44: „struere", quod est „aliam rem super aliam acervare" (ut dicitur „acervum vel pyramidem struere"), usurpatum est pro „augere" in locutione „rem struere"; opes enim, in quibus res familiaris posita est, quasi coacervantur. — Pers. II 66: „stringere" dictum est pro „secernere" de iis, quae artissime mixta nisi maximo labore discerni non possunt („stringere venas ferventis massae crudo de pulvere"). — Pers. III 111: „salire" de corde dictum est ad animum significandum commotiorem; eadem nos utimur metaphora. Similiter Iuvenalis in s. VI 318 usurpat verbum „saltare" de libidine commota („saltante libidine"). — Saepius verbum „deprendere", ad animum translatum, positum est pro „animo concipere" (Pers. III 52: Iuv. IV 142; VII 112); nostrum „*erfassen*". — Pers. III 80: in usu metaphorico est locutio „figentes lumine terram" (nos: „*den Blick auf die Erde heften*"), usurpata pro „rectis oculis terram intuentes"; quod signum habebatur acris cogitationis. Idem significatur locutione „murmura . . . secum et rabiosa silentia rodunt" (ib. 81), quod ii, qui acri cogitant intentione, labra movent et dentes collidunt. — Pers. IV 33: „figas in cute solem" pro „apriceris". — In Iuv. s. V 40 leguntur verba „custos affixus ibidem" de custode, qui diu eodem loco stat atque oculis contentis aliquem prosequitur. Nos de homine ex eodem loco non recedenti dicere solemus „*er steht da wie angenagelt*". — Iuv. III 2: „sedem figere Cumis"; nos: „*seinen Sitz aufschlagen*". — Aliae translationes verbi „figere" inveniuntur in Pers. s. V 27 („in pectore fixi") et in Iuv. s. XI 28 („figendum et memori tractandum pectore"), quibuscum congruit metaphora verbi Germanici „*sich etwas einprägen*". Iuv. V 12: verbum „figere" solum positum est pro „cogitare" („Primo fige loco, quod etc."). Contrarium significatur translatione Persiana (V 92): „avias tibi de pulmone revello". — Pro „reticere aliquid" dictum est „intra se figere" apud Iuv. IX 94 („intra te fige querelas"). — Pers. IV 23: „in sese descendere" in usu est pro „se ipsum cognoscere"; similiter nos dicimus „*in sich kehren*". Eodem pertinet locutio Persiana (IV 52) „tecum habita" i. e. te perscrutare. — Eadem qua nos utimur translatione apud Iuv. XI 27 „E caelo descendit γνῶθι σεαυτόν" dictum est pro „divinitus datum vel doctum est". — Pers. V 33: „spargere" de oculis dictum est („sparsisse oculos"). Nos: „*die Augen umherwerfen*". — De rebus sensu carentibus „vivere" usurpatum est in Pers. s. VI 2 („vivunt chordae") et in Iuv. s. VIII 103 ad egregias Phidiae statuas, quae quasi vivere videbantur, significandas („Phidiacum vivebat ebur"), porro verbum „videre" in Iuv. s. VIII 149 („luna videt". ib.: „sidera . . . intendunt oculos"), „pos-

cere" in Iuv. V 48 („calicem ... rupto poscentem sulphura vitro"). Cuiusmodi metaphorae apud nos item usitatae sunt. — Pers. VI 34: „curtare" i. e. „aliquid brevius facere" translate usurpatum est in locutione „rem curtaveris (sc. familiarem)", cui respondet nostrum „*das Vermögen kürzen*". Eodem pertinet translatio arcessita „eadem (sc. res) cras deteret exiguis aliquid" (Iuv. III 24) pro „eadem quasi deterendo i. e. consumendo de exiguis perdet aliquid". — Pers. VI 37: „aliquem urgere" invenitur pro „conviciis urgere" i. e. conviciari; nos vulgariter dicere solemus „*gegen jem. losziehen*". Translatione usitatissima „urgere" positum est in locutionibus „adveris urgentibus" (Iuv. XII 53) et „praecipuis mentem sudoribus urget" (Iuv. XIII 220); eodem in usu metaphorico versatur nostrum „*bedrängen*". —

Praeter ea quae adhuc commemoravi verba Iuvenalis metaphorice usurpavit permulta alia, quae — nonnullis exceptis — non raro apud scriptores Latinos in usu versantur translato. Quorum ex numero permagno commemorentur haec: I 1: „reponere" pro „malum aliquid reponere" i. e. ulcisci; nostrum „*jemand etwas abgeben*". — I 31: „se tenere" pro „animo non commoveri"; nostrum „*sich halten*". VII 50: „laqueo tenere" dictum est de vitio, quo homo se liberare non potest, in locutione „laqueo tenet ambitiosi consuetudo mali"; nos: „*die Gewohnheit hält jem. fest*". Porro „tenere" invenitur in s. V 58 pro „verbis tenere" i. e. morari et VI 454 pro „memoria tenere" i. e. scire („ignotosque mihi tenet . . . versus"). — I 33: „comedere" pro „expilare" („nobilitate comesa*"); porro I 138: „comedunt patrimonia", quacum locutione consentit nostrum „*Hab und Gut verzehren*". — I 34 „palpare ab equis, qui palpando leniuntur, translatum est ad delatorem, cuius animus muneribus sedatur, pro „adulari" („quem munere palpat Carus"). — I 62: „se iactare" pro „gloriari"; quae metaphora est usitatissima. Huc pertinent verba (VIII 6 sq.):

„ . . . generis tabula iactare capaci
. . . .
Fumosos equitum cum dictatore magistros",

usurpata de homine saepissime maioribus suis glorianti. Simile est nostrum „*mit seinen Ahnen herumwerfen*". — I 89: „comitari" dictum est de loculis, quos quis semper secum habet („loculis comitantibus"); eadem nos utimur translatione. — Porro ad res vita sensuque carentes translata sunt verba „sedere" (I 96: sportula sedet; — IV 74: sedebat pallor; — VIII 63: „rara iugo victoria sedet", quod dictum est de equo, qui raro in cursus vincit certamine. Simili metaphora nos de homine rebus adversis persaepe commoto vulgariter dicimus „*dem sitzt das Unglück im Nacken*"); „vincere" (I 110; IV 136); „stare" (I 149: „in praecipiti vitium stetit"; nos: „*das Laster steht auf dem Höhepunkt*"); „ducere" (I 146; II 81). In s. XV 25 „ducere" positum est pro „bibere" („qui de Corcyraea temetum duxerat urna"; nostrum „*aus dem Glase ziehen*"). VIII 17: „traducere" invenitur pro „derisui exponere" (nostrum „*jem. aufziehen*"). XI 31 „se transdudere" pro „se risui exponere". XV 94: „produxere animas"; nos: „*das Leben verlängern*". — II 45 et VI 222: „facere" translatione ex sermone vulgari petita idem significat quod „peccare", „delinquere"; Germanice eadem metaphora usurpari potest. — III 28: „subire" translate positum est in locutione „nullo dextram subeunte bacillo"; porro in s. VI 144: „rugae subeant" i. e. paulatim oriantur (simile est nostrum „*mögen sich Runzeln einstellen*"), VII 34: „taedia . . . subeunt animos" (nos dicimus „*Ekel überkommt jem.*"), XIV 33: „vitiorum exempla . . . subeunt animos" (*sich einschleichen*), XIV 202: „te fastidia . . . subeant". — II 148: „admovere" pro „annumerare" („His licet ipsum admoveas"). — III 105: „alienum sumere vultum"; nos: „*eine Miene annehmen*". — III 174: „redire" pro „rursus agi" („redit ad pulpita exodium"; nos: „*zurück auf die Bretter kehrt das Nachspiel*". — III 223: „avelli" in locutione „avelli Circensibus" positum est pro „renuntiare aliquid" ad magnam significandam cupiditatem ludorum Circensium, quibuscum Romani artissime quasi coniuncti erant. Nos: „*sich von etwas losreissen*". — III 224 et V 56: „parare" pro „pecunia parare" i. e. emere; nostrum „*sich etwas anschaffen*". — III 238: „eripient somnum Druso"; quod in s. V 19 et VI 416 expressum est locutione „rumpere somnum". — III 254: „coruscare"

*) cf. Heinrich ad l. c.

i. e. „cornibus ferire“ usurpatum est de abiete in serraco posita atque vacillanti („longa coruscat serraco veniente abies“). — III 315: „subnectere“ pro „addere“ („subnectere causas“). Verbum „nectere“ invenitur in locutione „nectit quicunque canoris eloquium vocale modis“ (VII 18), metaphorice posita de eo, qui ad sonum cantat chordarum. Simili translatione nostrum *„verknüpfen“*, *„verbinden“* usurpari potest. — IV 12: „caderet sub iudice morum“; nos: *„dem Sittenrichter verfallen“*. VI 440: „cadere“ positum est de verbis („verborum cadit vis“); nostrum *„Worte fallen“*. — IV 19: „praecipuam in tabulis ceram ... abstulit“ i. e. heres ex asse institutus est. Nos similiter dicimus: *„einen Hauptplatz im Testament einnehmen“*. — IV 103: „imponere“ pro „fallere“, „defraudare“ („imponere regi“); nostrum *„jem. etwas aufbinden“*. Idem significatur verbo „circumscribere“ in s. X 222. — IV 108: „sudare“ pro „stillare aliqua re“ („sudans Crispinus amomo“). — VI 95: „gelari“ positum est ad timorem significandum permagnum in locutione „pavidoque gelantur pectore“. Simile est nostrum *„vor Furcht starr sein“*. — VI 192: „pulsare“ metaphorice usurpatum est in locutione „quam sextus et octogesimus annus pulsat“, cui respondet nostrum *„jem. drücken bereits 86 Jahre“*. — VI 426: „tendi“ pro „repletum esse“ („oenophorum, plena quod tenditur urna“). — VI 433: „substringere“ pro „prohibere“ („bilem i. e. iram substringit“). Quacum metaphora comparari potest locutio nostra vulgaris *„dem Zorne Zügel anlegen“*. — VI 442: „nemo tubas, nemo aera fatiget“, ubi „fatigare“ positum est pro „intemperanter abuti aliqua re“. — VI 609: „se alicui ingerere“ de Fortuna dictum est, quae sua sponte alicui favet. Similiter nos dicimus *„sich jem. aufdrängen“*. — VII 161: „implere“ in locutione „miserum dirus caput Hannibal implet“ usurpatum est de suasoriis, quae saepius in Hannibalis rebus versabantur tractandis et crebro auditae vexabant eos, qui declamare docebant; nos similiter dicimus *„mir ist der Kopf ganz voll von etwas“* i. e. *„mir ist das bereits zuwider“*. Quo loco commemoretur locutio translata „inflatum plenumque Nerone propinquo“ (VIII 72), quam Heinrich commodis his explicat verbis: „nihil cogitantem quam Ner. propinquum, *ganz voll vom hohen Verwandten, dem der hohe Vetter in allen Gliedern steckt*“. — X 139: „se erigere ad aliquid“ pro „petere aliquid“; nostrum *„sich nach etwas strecken“*. Aliter usurpatum est „erigere“ de ianua sertis redimita in locutione „longos erexit ianua ramos“ (XII 91). — X 220: „expedire“ pro „narrare“; nostrum *„entwickeln“*. — XI 62: „contingens sanguine caelum“ i. e. deis ortus. — XIII 194 et 195: „caedere“ et „flagellum quatere“ dictum est de conscientia hominem vehementissime vexanti. Quacum locutione conferri potest nostrum *„Schläge des Gewissens“*. — XIV 10 et 11 locutio invenitur translata „cum septimus annus transierit puero“, qua continetur sententia, annos praeterisse utilitate non percepta. Nos: *„Sieben Jahre sind an jem. vorübergegangen“*. — XIV 149: „tota novalia saevos in ventres abeant“ i. e. novalia ambedantur. — XIV 199: „si . . . trepidum solvunt tibi cornua ventrem cum lituis audita“ positum est pro „si sonitum cornuum et lituorum permagnum perpeti non potes“. Similiter nos verbo *„lösen“* utimur in locutione *„der Schreck löst mir die Glieder“*. — XIV 236: „qui paupertatem levet attollatque“; opes quasi fulturae sunt, quibus paupertas levatur atque erigitur. —

Sequantur **nonnulla nomina huc pertinentia**, quae apud Persium et Iuvenalem in usu versantur metaphorico. Omissis translationibus usitatissimis adiectivorum „magnus“, „grandis“, aliorum, mentio fiat metaphorae „versu tremulo“ i. e. libidinoso (Pers. I 21: „tremulo scalpuntur ubi intima versu“). — Pers. I 71: „satur“ usurpatum est de rure („rus saturum laudare“) pro „omnibus rebus abundans“. — Pers. II 35: „spem macram . . . mittit in aedes“ dictum est de puero, qui parum respondet ingentibus aviae votis. — Pers. I 129 et Iuv. I 66: „supinus“ usurpatum est pro „superbia inflatus“; ut Romani, ita nos supino incedere capite superbiae signum esse putamus. — Translationes pervulgatae sunt adiectivorum „saevus“ (Iuv. III 8: saevae urbis; VII 229: saevas leges), „rabidus“ (Iuv. VI 428: rabidam orexin), „sollicitus“ (Iuv. VII 42: „domus . . ., in qua sollicitas imitatur ianua portas“; quo loco „sollicitus“ positum est de porta oppidi ab hostibus vexati obstructa), „velox“ (Iuv. III 73: „ingenium velox“; nostrum *„schnell auffassender Geist“*). — Iuv. III 182: „ambitiosus“ ab hominibus pauperibus atque ambitiosis ad paupertatem ipsam translatum est („vivimus ambitiosa paupertate“). — Iuv. VIII 248: „piger“ ab homine ignavo, qui dolabra utitur tarde, ad dolabram ipsam

translatum est („si lentus pigra muniret castra dolabra"). Similiter in Iuv. s. XIV 106 „ignavus" positum est de die ipso, quo homo piger abstinet labore („septima quaeque fuit lux ignava"); nostrum „*ein fauler Tag*". — Iuv. IX 31: „secundus" pro „deterior" („tenue argentum venaeque secundae"). — Iuv. IX 127: vita dicitur angusta; nos: „*knappe Lebenszeit*". — Iuv. X 281: „opimus" dictum est de anima pro „beatus" („animam exhalasset opimam"). — Ad postremum commemorentur substantiva „recessus" (Pers. II 73: sanctosque recessus mentis) et „fuga" (Iuv. VIII 61: „clara fuga" i. e. velocitas). —

Metaphoris, quae ab corpore humano atque ab animalium condicione, actionibus, motibus petitae sunt, explicatis animum vertamus ad translationes **ab ordinibus singulis** depromptas. Atque primum quidem tractemus metaphoras **a fabris eiusque operibus** sumptas. Huc pertinet substantivum „plasma" (i. e. opus artificio factum), in Pers. s. I 17 positum de vocis flexionibus. — Pers. I 21: „scalpere", quod dicitur, ut afferam exemplum, de marmore, metaphorice usurpatum est in locutione „scalpuntur intima" i. e. libido excitatur. — Translatione pervulgata „acumen" usurpatum est pro astutia (Iuv. IV 102). — In Pers. s. I 65 de carminibus perfectis dictum est: molli numero fluunt, „ut per leve severos effundat iunctura ungues". Quo loco severi ungues significant severam censuram; marmorarii enim unguibus examinabant, num ita lapides sibi convenirent politi, ut iuncturae non possent deprehendi (cf. O. Jahn ad l. c.). Similiter nos utimur substantivo „*Nagelprobe*" (ut in locutione „*die Nagelprobe bestehen*" i. e. *aufs genaueste ausgeführt sein*). — Porro mentio fiat verbi „ponere", usurpati pro „describere" (Pers. I 70: ponere lucum; Iuv. I 155: pone Tigellinum); poeta res vel animalia tam venuste perspicueque describit, ut legentibus ante oculos quasi posita esse videantur; nos: „*darstellen*". Praeterea „ponere" metaphorice positum est in Pers. s. I 86 („posuisse figuras" sc. dicendi) et V 3 („fabula ponatur") pro „scribere". Apud Iuv. XIV 115 sq. **ab** assiduo **fabro ferrario** ad significandum hominem avarum, qui maxima pecuniae cupiditate incitatus opes omni modo acquirere nunquam desinit, haec locutio petita est: „(hunc) egregium populus putat acquirendi
Artificem: quippe his crescunt patrimonia fabris!
Sed crescunt quocunque modo maioraque fiunt
Incude assidua semperque ardente camino";
similiter nos dicimus „*Geld schmieden*". — Ab follibus fabrorum ferrariorum assumpta est locutio Iuvenaliana (VII 111) „Tunc immensa cavi spirant mendacia folles", usurpata de causidicis insolenter se iactantibus atque vaniloquis. Quacum locutione comparari potest nostrum „*windbeuteln*". —

A **fabris tignariis,** qui ad ea, quae curva cognoverunt, extendenda apposita utebantur regula, sumpta est locutio „tendere versum" (Pers. I 65) i. e. rectum facere versum. Eodem in usu posita est locutio translata „apposita intortos extendite regula mores" (Pers. V 38). Porro huc pertinent verba „oculo rubricam dirigat uno" (Pers. I 66), usurpata de poeta, qui magnam consumit operam in versibus faciendis; utuntur enim fabri in rubrica adhibenda uno oculo, ut quam accuratissime cernant. —

A **pictore** assumpta est dictio „picta lingua" (Pers. V 25) i. e. tumida lingua; nostrum „*geziert*", „*verblümt*". Ibidem mendacia blandae linguae vocantur „pictae tectoria linguae"; quae dictio petita est a parietibus, qui operiebantur tectorio, quod, quamquam latericium erat, levigatum et pictum simulabat lapidem; cui translationi respondet Germanicum „*Tünchwerk*". Alia translatione tectorium in Iuv. s. VI 467 significat Poppaeana pinguia faciei inducta („tectoria prima reponit"). — Pers. VI 79: „depingere" pro „accurate atque verbis commodis dicere"; Germanice eadem usurpatur translatio. —

Nonnullae translationes **a figulis fictilibusque** sumptae sunt; ut „fingere" de educatione usurpatum est in Pers. s. III 23: „Udum et molle lutum es, nunc, nunc properandus, et acri
Fingendus sine fine rota";
quo loco homo nondum perfectus metaphorice vocatur argilla mollis adhuc, ex qua „sine fine rota" i. e. acri studio homo perfectus fingendus est. Notione fingendi nos item de educatione utimur. Eadem res subest translationi „premitur animus" (Pers. V 39) i. e. „fingendo premitur" pro „animus vincitur atque expolitur". Porro ab artifice, qui res ex argilla vel cera factas ad postremum pollice levigat perpolitque, locutio „mores teneros ceu pollice ducat" (Iuv. VII 237) petita est ad significandum praeceptorem,

cui mores discipulorum conformandi atque excolendi sunt. — Iuv. VIII 195: „fingere“ pro „opinari“; nos: „*sich einbilden*“. — A fictilibus, quae non bene cocta liquorem continere non possunt, sed emittunt itaque inutilia sunt, sumpta est translatio verbi „effluere“ (Pers. III 20), quod de homine usurpatum est pro „desidia labi“, „vitam degere inutilem“. — A fictilibus, quae ab ementibus, ut videant, num illa bene cocta atque incolumia sint, pulsando examinantur, deprompta est translatio verbi „pulsare“ pro „examinare“ (Pers. V 24). Eadem translatione nostrum „*anklopfen*“ usurpari potest. — Iuv. XV 128: substantivum „testa“ translatione aculeata positum est ad navigiolum significandum*). Quo in usu versatur apud nos substantivum „*Nussschale*“. —

Translatione **a pistoribus** deprompta in Pers. s. VI 25 „granaria emole“ dictum est pro „omne frumentum consume“. — Iuv. V 168 et XIII 212: „molaris“ in usu est pro dente maxillari. —

A **textoribus** petita est verbi „deducere“ translatio in Iuv. s. XIII 207: „longa deductis gente propinquis“. Similiter nos de origine ab aliquo trahenda dicimus „*die Abstammung herleiten*“. — Alia translatione „deducere“ positum est de eo, qui ornatissime optimeque componit carmina, in locutione Iuvenaliana „qui nihil expositum soleat deducere“ (VII 54). Similiter nos uti possumus verbo „*ausspinnen*“. —

Dicamus nunc de translationibus **ab iudicibus omnibusque, quae ad eos pertinent,** petitis. Quo in numero ducenda est metaphora „alicui rei nigrum praefigere theta“ (Pers. IV 13) i. e. improbare, damnare aliquid. Quae translatio posita est in eo, quod theta, quae prima est littera substantivi „θάνατος“, iudicis signum erat, si quem capitis damnabat**). — Iuv. VI 485: substantivum „cognitio“, quod ad usum pertinere iudicialem notum est, significat castigationem servorum dominae iussu peractam („cognitione peracta“). Quacum translatione comparanda est locutio nostra vulgaris „*mit jem. kurzen Prozess machen*“. — Iuv. VII 33: „decidere“ i. e. res, de quibus apud iudicem lis est, componere, usurpatum est de homine, cui in alto quasi lis est cum ventis adversis, quos, ut illam componant, concedendo movere studet („decidere iactu coepit cum ventis“). Commode scholiastes: „de periculo et de vita coepit pacisci cum ventis, et iacturam mercium facere“. —

Porro inveniuntur translationes **a sacerdotibus** sumptae. Cum popae, qui hostias mactabant atque fruebantur reliquiis, saepe ventriosi facti sint, locutio „popa venter“ in Pers. VI 74 posita est pro „obesus venter“; nostrum „*Pfaffenbauch*“. — Apud Iuv. VII 19 „quicunque . . . laurum momordit“ ab Apollinis sacerdotibus, qui laurum, ut divino quodam inflarentur spiritu, manducabant***, translatum est ad poetam divino instinctu incitatum. —

Commemorandae sunt translationes **ab agricolis** petitae. Pers. IV 28: „iugum pertusa ad compita figit“ pro „requiescit“. In compitis enim, ut testatur scholiastes, aediculae erant patentes, in quibus agricolae ponebant iuga fracta et consecrabant velut emeriti et elaborati operis indicium†). Itaque „iugum ad compita figere“ omnino in usu erat pro „ex laboribus conquiscere“. Quacum locutione conferri potest nostrum „*die Arbeit an den Nagel hängen*“. — In Pers. s. V 63 imagine ab agro, qui colitur, desumpta praeceptor vocatur „cultor iuvenum“. — Pers. IV 36: „runcare“ i. e. herbas inutiles evellere, positum est pro „depilare“. — Ab arantibus petita est locutio Iuvenaliana (VII 48 et 49):

„ . . . . tenuique in pulvere sulcos
Ducimus et litus sterili versamus aratro“,

i. e. frustra operam conterimus. Simile est nostrum „*leeres Stroh dreschen*“. — Porro huc pertinet versus: „Quae tamen inde seges? terrae quis fructus apertae?“ (Iuv. VII 103) Quo loco „seges“ et „fructus“ metaphora nobis item licita posita sunt ad lucrum significandum, quod scriptores capiunt ex labore operibusque. Historia a scriptoribus composita vocatur „terra aperta“ i. e. culta magno labore. Similis est locutio Germanica „*das Gebiet (Feld) der Geschichte bearbeiten*“. — Iuv. XIV 25: „rusticus“ significat hominem stolidum. Eodem pertinet substantivum „fossor“, in Pers. s. V 122 positum ad hominem significandum rudem atque impolitum. Quo in usu translato versatur nostrum „*Bauer*“. —

Huc accedant translationes **a venatione** petitae. Cuiusmodi metaphorae sunt in Pers. s. III

*) cf. Heinrich ad l. c.
**) Mart. VII 37: Nosti mortiferum quaestoris, Castrice, signum?
***) cf. Heinrich ad l. c.
†) cf. O Jahn ad l. c.

60 sq. locutiones „Est aliquid quo tendis, et in quod dirigis arcum?" pro „est tibi certus quem petis finis?" et „an passim sequeris corvos testaque lutoque?" quod significat eum, qui vitam degit inutilem; is enim, qui sine certo venatur consilio, temporis terendi causa corvos, quae sunt aves inutiles, vel testa lutoque insequitur. — Pers. V 16: „defigere" pro „vituperare", „notare" („ingenuo culpam defigere ludo"); quae metaphora sumpta est a feris iaculo figendis. —

Sequantur translationes **a militia** atque rebus ad eam spectantibus depromptae. Metaphora a sagittariis petita in Pers. s. IV 42 de eis, qui aliorum vitam obiurgantes ipsi obiurgantur, dictum est: „Caedimus, inque vicem praebemus crura sagittis". — Iuv. I 75: aedificia magnificentissima vocantur „praetoria" (nostrum *Paläste*). Praetoria erant tabernacula imperatorum Romanorum; eodem vocabulo significabantur aedificia provinciae praefectorum magnifica. — Iuv. I 91 et 92: de alea intemperanti translatione a pugna ardenti petita dictum est; „Proelia quanta illic dispensatore videbis armigero!" Quo loco dispensator, cum pecuniam, qua in pugna aleatoria quasi depugnatur, secum portet, vocatur armiger. — Metaphora a gladio, qui ad homines feriendos atque caedendos in usu est, deprompta Iuvenalis Lucilii satiram, qua homines castigantur, significat verbis „ensis strictus" (I 165: „Ense velut stricto quotiens Lucilius ardens infremuit"). — Iuv. I 168 et 169: translatione a pugna petita de poeta, qui, cum satiras scribere constituerit, quasi in proelium contra hominum vitia descensurus est, verba leguntur haec: „Tecum prius ergo voluta Haec animo ante tubas, galeatum sero duelli Paenitet". — Metaphora a phalangibus, quae densissimae se defendebant, sumpta est in Iuv. II 46 („iunctaeque umbone phalanges") ad multitudinem virorum mollium, inter quos magna est concordia (ib. 47), significandam. — Iuv. VI 274: de lacrimis omni puncto temporis profundi paratis dictum est: „in statione sua atque exspectantibus illam (sc. dominam)". Quo loco lacrimae cum militibus comparantur, qui in statione sunt atque impigri faciunt imperata. Nos: „*Thränen stehen mir stets zu Diensten*". — In s. VI 419 Iuvenalis acerbe utitur substantivo „castra" („et castra moveri nocte iubet") ad significandam multitudinem hominum atque utensilium, quae feminam comitantur in balnea. Eodem in usu translato versatur nostrum „*Lager*". — Metaphora a iaculo emittendo deprompta de aliquo, qui enthymemate seu ad refellendum seu ad adoriendum utitur, dictum est in Iuv. s. VI 450: „curtum sermone rotato torqueat enthymema". Eodem pertinet locutio Iuvenaliana (VII 193): „orator maximus et iaculator*)". Translatione simili loci argumentorum, quibus quis vexatur, vocantur „sagittae" (Iuv. VII 155). Cuiusmodi metaphoris uti nobis item licet. — Iuv. VIII 236: „vexillum" de nefariorum hominum manibus usurpatum est („vexilla vestra coercet"). — Ab acie, quae impetu vehementi inclinatur, verbum „inclinare" petitum est in Iuv. s. IX 26 et X 224, ubi idem significat quod „aliquem inclinare in moribus bonis servandis" i. e. ad nequitiam adducere. Nos: „*jem. in seiner Moral zum Wanken bringen*". — Iuv. X 200: „gingiva inermi" i. e. quae non habet dentes. IV 80: „omnia . . . tractanda putabat inermi iustitia". — Iuv. VII 173: substantivum „pugna" adhibitum est ad actionem significandam forensem, quae opponitur exercitationi rhetoricae vel, ut verbis utar Iuvenalis, umbrae rhetoricae („ad pugnam qui rhetorica descendit ab umbra"). — Eodem pertinet locutio a pugna, quae in arena committebatur, desumpta ad causas, quae saepius dilatae lentissime agebantur in foro, significandas (Iuv. XVI 47: lentaque fori pugnamus arena). — Iuv. XIV 152: de fama, cum celerrime divulgetur, dictum est: „quam foedae bucina famae!" Nos: „*etwas ausposaunen*". — „Tuba", qua datur signum pugnae, in Iuv. s. XV 52 invenitur pro „principium" („haec tuba rixae"), quod in s. III 288 expressum est substantivo „prooemium" („cognosce prooemia rixae"). —

Quo loco addatur locutio **a gladiatoribus**, qui dimissi accipiebant rudem, ad rhetores translata: „sibi dabit ipse rudem" i. e. docere desinet (Iuv. VII 171). —

Metaphora **a nautis** petita invenitur in Iuv. s. I 149: „Utere velis, totos pande sinus" i. e. incumbe acriter in satiras scribendas. —

Translatione **ab aurigis** deprompta in Iuv. I 20 pro „incumbere in aliquid" (h. l. in satiras)

*) Recte cum his metaphoris comparantur (cf. Heinrich ad VI 450) verba: *ἐνέβαλε ῥῆμα ἄξιον λόγου βραχὺ καὶ συνεστραμμένον ὥσπερ δεινὸς ἀκοντιστής*, Protag. p. 342 E.

verba usurpata sunt „per campum equos flectere“; idem expressum est (v. 19) translatione a militibus petita decurrentibus: „decurrere campo“; qui versus sunt:

„Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,
Per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus“. —

Iuv. XIV 37: „orbita“, quod est vestigium vehiculi rotis factum, in usu est pro „exemplum“ („monstrata diu veteris trahit orbita culpae“). Nos substantivum *„das Geleise“* item translate usurpare possumus. — In s. XIV 230 Iuvenalis de patre, qui, postquam pueros malis educavit praeceptis perverrisque, iter eis aperit, quo praecipites et habenis effusis i. e. celerrime ruunt in exitium neque iam revocari possunt, his utitur verbis:

„Dat libertatem et totas effundit habenas
Curriculo: quem si revoces, subsistere nescit
Et te contempto rapitur metisque relictis“.

Simile est nostrum *„jem. nicht mehr im Zaum halten können“*. —

Iuv. IV 1: „vocandus ad partes“, quod proprium est **histrionum**, qui ad partes citantur agendas, positum est de Crispino, cuius in turpitudine tractanda saepius versatur poeta. Simili translatione usurpatur nostrum *„jem. auftreten lassen“*. — Iuv. II 29: „tragico (i. e. scelerato) pollutus adulter concubitu“; nos eadem utimur translatione. —

Iuv. VIII 93: Capito*) (praefectus fuit Ciliciae) et Numitor, qui more piratarum Ciliciam provinciam nudavissent, acerbe vocantur „**piratae** Cilicum“. —

Substantivum **„municeps“** metaphorice positum est in Iuv. s. IV 33 de siluris, qui Crispini vocantur municipes, et XIV 271 de lagoenis Creticis („municipes Iovis“). Nostrum *„Landsmann“* eodem in usu metaphorico versari potest. — Similiter in Iuv. s. V 105 substantivum **„vernula“** usurpatum est de pisce pro „indigena“ („vernula riparum“). —

Metaphora usitata patronus, qui plurimum valeat apud clientes, vocatur **„rex“** (Iuv. V 14; 130; 161). Nos substantivo *„König“* eadem uti possumus translatione. —

Iuv. VII 148: „**nutricula** causidicorum Africa“; nostrum *„Ernährerin“*. —

Transeamus nunc ad translationes **ab hominum valetudine** depromptas. Metaphora usitatissima „sanus“ de animo positum est (Pers. III 118). - Pers. I 23: „cute perditus“ i. e. hydropicus significat hominem iudicio animoque perverso. Eodem pertinet adiectivum „lippus“, translatum ad animi vitia. — Pers. I 77: „verrucosus“ de carmine in usu versatur pro „asper et horridus“; verrucae enim corpus humanum asperum faciunt horridumque. — Pers. I 104: „delumbis“ positum est de carmine; schol.: „id est adumbratum, nihilque solidi habens, sed fractum et enerve“. — Pers. II 14: „tumere“ pro „excitari“ („acri bile tumet“); idem significatur verbo „turgescere“ in s. III 8 („Turgescit vitrea bilis“); nos: *„leidenschaftlich aufschwellen“*. Alia metaphora „tumere“ in Iuv. s. VIII 40 („Tumes alto Drusorum stemmate“) positum est pro „superbire“; nostrum *„sich aufblähen“*. — A pituita, qua liberati homines habent somnia certa atque perspicua, Persius (II 57) sumpsit locutionem „somnia pituita purgatissima“ i. e. clara et veridica. — Pers. VI 72: „singultire“ dictum est pro „libidine contremiscere“. — Restat translatio hoc loco commemoranda, qua in Iuv. s. IV 84 nomen „pestis“ una cum substantivo „clades“ de Domitiano usurpatum est pro „malum exitiumque“ („clade et peste sub illa“); eadem imagine nos ad hominem saevum turpissimumque utimur significandum. —

Quibus translationibus adiungamus metaphoras **a cibis** omnibusque, quae ad eos parandos opus sunt, petitas. Huc pertinet usus metaphoricus, quo in Iuv. s. VI 681 „aloë“ et „mel“ significant dolorem et laetitiam („plus aloes quam mellis habet“: *mehr Bitteres als Süsses*). — Pers. I 33: adiectivum „rancidulus“ usurpatum est de eo, quod auribus iniucundum atque putidum est („rancidulum quiddam . . . locutus“). Item „rancidus“ in Iuv. s. VI 185 invenitur pro „odiosus“, „intolerabilis“ („nam quid rancidius, quam etc.“). — Pers. I 92: adiectivum „crudus“ usurpatum est de numeris nondum artificiose perfectis; eadem nos utimur translatione. Contrarium significatur adiectivo „decoc-

*) cf. Tac. a. XIII 33; XIV 48.

tus", posito pro „expolitus", „subtilis" (Pers. I 125: „si forte aliquid decoctius audis"); decoquendo enim multa eaque inutilia absumuntur. Quo loco commemoretur metaphora Persiana (I 126) „vaporata aure" i. e. attenta atque intellegenti aure. Eodem pertinet locutio „aurem mordaci lotus aceto" (Pers. V 87) i. e. excultus, intellegens. Quae metaphorae in eo positae sunt, quod aurium sordes nimis durae aceto aut vaporatione emolliebantur. Nos in sermone vulgari simili translatione dicimus *„die Ohren rein halten"* i. e. *aufmerksam zuhören.* — Pers. II 74: „incoctum pectus honesto" i. e. pectus honesto impletum, quod nos vocabulo *„durchglüht"* exprimere solemus. — Pers. V 57: „decoquere" a cibis, quorum vis coquendo consumitur, translatum est ad eum, qui, cum tempus in aleam conferat, rem perdit familiarem („hunc alea decoquit" i. e. huius opes consumit). — Pers. V 5: substantivum „offa", qui est globus ex farina factus, translatum est ad carmen: „quantas robusti carminis offas ingeris"; quae locutio significat materiam carminum permagnam. Apud Iuv. II 33 offa in usu versatur pro partu („patruo similes effunderet offas"). XVI 11: offa propter similitudinem usurpatur pro tubere („nigram in facie offam"). — Pers. V 9: „insulsus" positum est pro „ineptus", „infacetus". Alio in usu metaphorico versatur „insulsus" in Iuv. s. VI 658: „bipennem insulsam" i. e. informem, quae opponitur „tenui pulmoni rubetae". — Translatione usitata „sales" significant facetias (Iuv. IX 11: salibus vehemens). — Pers. V 115: locutio invenitur proverbialis „fueris nostrae farinae" i. e. nostri generis, cui respondet nostrum *„von unserm Schrot und Korn sein"*. — Porro commemoretur locutio „far caninum*)" (Iuv. V 11: sordes farris mordere canini), quam ad panem significandum malum atque corruptum positam esse verisimile est. Nos: *„Hundebrot"*. — Pers. VI 52: „exossatus ager" i. e. lapidibus liberatus; lapides enim quasi ossa agri sunt. — Non omittenda est translatio „sartago loquendi" (Pers. I 80), quae sumpta a patella, in qua coquuntur varia, significat ineptam garrulitatem. Cui metaphorae respondet nostrum *„Redemischmasch"*. — Iuv. I 86: „farrago", qui est pastus mixtus, invenitur in locutione translata „nostri est farrago libelli". — Pers. III 115: locutio „excussit membris timor albus aristas", usurpata ad significandum terrorem quam maximum, posita est in eo, quod ex usu sermonis vulgaris in corpore hominis repente perterriti pili horrent ut aristae in spica hordei. Nos dicimus: *„die Haare sträuben sich"* vel *„sie stehen zu Berge"*. — Iuv. III 61: plebs vocatur „faex" („quota portio faecis Achaei?"); nostrum *„Hefe des Volks"*. — Iuv. III 188: „fermentum", quod ut farina turgescat efficit, invenitur ad causam significandam irae, quae in homine movetur atque postremo ardet vehementissima („istud fermentum tibi habe"). Simili in usu versatur nostrum *„Gährstoff"*. Persius hoc substantivo utitur in s. I 24 de poetarum cupiditate carmina omnibus recitandi. — In s. VII 153 Iuvenalis de eadem re saepissime tractata atque audita usurpat locutionem „crambe repetita" („Occidit miseros crambe repetita magistros"), quacum congruit nostrum *„aufgewärmter Kohl"*. — Iuv. IX 28: „pinguis" positum est de lacernis pro „crassus". — In s. XIII 212 Iuvenalis ad cibi fastidium significandum verba posuit: „interque molares difficili crescente cibo". Vulgari in sermone nos item dicimus *„die Speise wächst im Munde"*. —

Ut a cibis, ita a **potione** omnibusque, quae sunt **liquida**, translationes leguntur petitae. In quibus referenda est locutio „cantare nectar" (Pers. prol. 14), quae significat cantum iucundum atque canorum; simile est nostrum *„süss singen"*. — Translatione usitata adiectivum „dulcis" positum est pro „iucundus" in Iuv. s. XII 1 („dulcior haec lux"). Contrarium significatur adiectivo „amarus" in Iuv. s. II 30 („leges amaras") et XIII 247 („poena amara"). Quibus metaphoris nos item utimur. — Pers. I 17: „liquido (i. e. claro) cum plasmate"; plasma enim guttur quasi emollit et collinit. — Pers. I 64: „fluere" translatione usitata dictum est de carminibus artificiosa compositione confectis. Iuv. VII 32: „defluere" positum est de aetate celeriter praetereunti: nostrum *„dahinfliessen"*. — Pers. I 35: „eliquare", a vino ad extremam verba proferendi mollitiem translatum, significat „aliquid infirme languideque pronuntiare". — Pers. I 79: „Hos pueris monitus patres infundere lippos cum videas". Nos: *„Lehren eintrichtern"*. — Pers. I 96: „spumosus" de carmine positum est pro „tumidus neque ullius ponderis", imagine ducta a spuma, quae in superficie potionis apparet

*) Panis canum erat furfuraceus; cf. Heinrich ad l. c.

multa, celeriter autem evanescit. Eadem translatione nos substantivum „*Schaum*" usurpamus ad vanas res significandas inanesque. — A bullis, quae in superficie liquoris fiunt atque ruptae ventum emittunt, assumpta est translatio „ebullire" (sc. animam)" pro „mori" (Pers. II 10); ut bulla ventum emittit, ita homo animam quasi ebullit (nostrum „*aushauchen*"). Substantivum „bulla" in Pers. s. V 31 significat capsulam. Quam cum pueri ingenui de collo in pectus ferrent dependentem, adiectivum „bullatus" positum est pro „puerilis" in Iuv. XIV 5 („ludit et heres bullatus"). — Pers. III 36: „libido . . . ferventi tincta veneno" i. e. incitata peccandi cupiditate. — Translatione nobis item licita in Pers. s. I 84 dictum est: „tepidum hoc optes audire decenter?" ad significandam acclamationem affectatam. — Iuv. V 47: „siccare" in usu est pro „exhaurire" („siccabis calicem"), item in s. XIII 44 pro „epotare" („siccato nectare"). — Iuv. X 113: „sicca morte" dictum est de exitu, qui non effuso affertur sanguine. — Metaphora usitatissima „imbuere" positum est pro „docere" (Iuv. XI 144 et XIV 124). — Adiectivum „merus", quod proprium est vini aqua non temperati, metaphorico in usu versatur apud Iuv. VI 159 („mero pede" i. e. nudo pede) et VI 187 („mera Cecropis" i. e. vera Cecropis; nostrum „*unverfälscht*"). — Iuv. XI 203: „bibat vernum solem" i. e. apricetur. — Iuv. X 140: „famae sitis" *(Durst nach Ruhm)*. — Huc accedant nonnullae translationes verborum „mergere" et „emergere". Iuv. III 164: „emergere" pro „progressus facere". Nos: „*sich emporschwingen*". — Iuv. XI 39 sq.: „aere paterno Ac rebus mersis in ventrem, fenoris atque Argenti gravis et pecorum agrorumque capacem?" Quo loco venter hominis effusi quasi mare est, in quod ut pereant omnia merguntur bona. — Iuv. XIII 8: „mergere" pro „pessumdare" in locutione „mediocris iacturae te mergat onus". —

Praeter cibum et potionem hominibus **vestimenta** necessaria sunt; ab his atque ab omnibus, quae ad ea pertinent, Persius et Iuvenalis item nonnullas translationes mutuati sunt. Ut „excutere" saepe positum est pro „accurate pervestigare" (Pers. I 49; V 22; VI 75; Iuv. VI 143); quae metaphora deprompta est a toga, cuius sinus quatiebatur, ut, si quid in eo inesset, decideret. — Pers. IV 30: „tunicatus" de caepa dictum est pro „cute tectus" („tunicatum cum sale mordens caepe"). Iuv. XIV 153: „tunica" invenitur pro folliculo („tunicam mihi malo lupini"). In eodem usu translato nostrum „*Kleid*" versari potest. — Pers. IV 32: adiectivum „pannosus" a vestimento scisso ad faecem plane corruptam translatum est („pannosam faecem morientis aceti"). Iuv. X 102: „pannosus aedilis" i. e. miser, tenuis; nostrum „*lumpig*" pro „*armselig*". — Pers. IV 37: „gausape", quod est genus panni villosi, significat barbam promissam villosamque; nostrum „*Zottel*". — Pers. VI 73: „trama figurae" vocatur homo macie confectus. Cui metaphorae a vestimento tam trito, ut nihil fere nisi trama supersit, sumptae respondet nostrum „*fadenscheinig*", quod in sermone vulgari ad hominem transfertur macrum. — Iuv. XIV 133: „filum" translatione nobis item licita positum est de fibris porri sectivi. — Cum pueri ingenui usque ad puberbatis annos togam haberent praetextam, Iuvenalis in s. I 78 adiectivo „praetextatus" usus est pro „puerilis" („praetextatus adulter"). Porro „praetextatus" usurpatum est pro „iuvenum Romanorum proprius" (i. e. corruptus) in Iuv. II 170: „praetextatos referunt Artaxata mores". — Iuv. X 39: „ferentem ex humeris aulaea togae" i. e. togam fusam. — Iuv. XIV 327: „gremium", quod significat togae sinum, quo antiqui ad res varias utebantur servandas, invenitur in locutione metaphorice posita ad significandam cupiditatem maximam: „Si nondum implevi gremium, si panditur ultra". Iuv. VII 215: „gremio alicuius affere" pro „praemium alicui persolvere" („Quis gremio . . . Palaemonis affert quantum grammaticus meruit labor?"); quae imago ab usu dona in sinu ponendi petita est. — Iuv. XIV 294: „fascia" significat nubem per caelum ductam („fascia nigra minatur"). — Metaphora usitata est verbi „exuere" pro „se liberare aliqua re" (Iuv. XI 190: quidquid dolet, exue; Iuv. XIII 188: errores exuit omnes). —

Sequantur translationes a **coloribus** depromptae. Pers. I 16: adiectivo „albus" continetur notio „toga candida ac pura (i. e. veste festiva) indutus"; idem significatur vocabulo „albatus" (Pers. II 40). — Alia translatione „albus" positum est pro „bonus", „faustus" (Pers. I 110: „sint omnia protinus alba"); nam ut nos, ita antiqui colorem album signum habebant felicitatis atque hilaritatis.

Eodem pertinet dictio Iuvenaliana (XII 65): „Parcae ... staminis albi lanificae". In locutione „tu gallinae filius albae" (Iuv. XIII 141), usurpata ad hominem significandum fortunatissimum, accedit, quod albae gallinae erant rarae. — Translatione contraria „niger" positum est pro „infelix", „mortifer" (Pers. IV 13: nigrum theta). — Quo loco mentio fiat versuum (Pers. V 108):

„Quaeque sequenda forent, quaeque evitanda vicissim,
Illa prius creta, mox haec carbone notasti?"

i. e. num memoriae tuae inhaeret, quid bonum sit, quid pravum? Quae locutio posita est in more, res secundas creta notandi, carbone adversas*). — Non omittenda sunt verba, quibus Iuvenalis (III 30) utitur ad homines sine ulla religione ac fide significandos: „maneant qui nigrum in candida vertunt"; cui metaphorae locum proverbii obtinenti respondet nostrum „*aus schwarz weiss machen*". — Pers. II 2: „candidus" de die laetitiam afferenti positum est; nostrum „*glänzend*". Pers. III 110: „candidus" pro „venustus" („candida puella"). — Cum ii, qui totos se abdunt in litteras, persaepe pallidum habeant oris colorem, verbum „pallere" in usu est de acri studio pro „in libris haerere" (Pers. I 124; Iuv. VII 97: „utile multis pallere"). Praeterea, cum pallor signum timoris sit, „pallere" positum est pro „terrore percuti", „metuere" (Pers. III 43: „intus palleat infelix"; V 184: „recutitaque sabbata palles"; Iuv. VIII 223: „ad omnia fulgura pallent", *sie erblassen*); eodem pertinet substantivum „pallor", usurpatum ad timorem significandum (Iuv. IV 75: pallor amicitiae). Pers. IV 47: „pallere" pro „cupiditate moveri" („Viso si palles, improbe, nummo"). — Iuv. V 87: „pallidus" de caule dictum est pro „vetus atque insuper male coctus" („pallidus affertur misero tibi caulis"; *elender Kohl*); caulis vetus atque decolor, ut molliretur atque in viridem restitutus colorem fieret suavior, aqua coquebatur nitrata**). Contra adiectivum „viridis" positum est pro „recens" in Pers. s. III 22: „viridi limo"; in sermone Germanico translationes adiectivi „*grün*" item usitatae sunt. — Pers. V 52: „discolor" pro „varius" („rerum discolor usus"; *bunt ist die Verwendung der Dinge*). — Iuv. IV 31: „purpureus" pro „purpura vestitus" („purpureus scurra"). — In imaginae coloris rei alicui inducti translatio posita est, qua Iuvenalis (VI 280) substantivum „color" usurpavit de ratione alicui rei obtendenda: „Dic aliquem, sodes, hic, Quintiliane, colorem"; quae metaphora sermonis rhetorum propria est. Alio in usu translato versatur „color" in Iuv. s. VII 154: „Quis color et quod sit causae genus"; unde nostrum „*Colorit*". — Iuv. I 166: „rubet auditor" i. e. eum pudet; nostrum „*erröten*". —

Nonnullae translationes **a ludis et consuetudine moribusque** antiquorum propriis petitae sunt. Ut in Pers. s. I 10 a nucibus, quibus pueri ludebant potissimum, deprompta est locutio „nucibus facimus quaecunque relictis" i. e. annos puerilitatis egressi („*den Kinderschuhen entwachsen*"). — Pers. V 13: „nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas", i. e. nec tu sermone uteris inani tumidoque. Quae metaphora posita est in puerorum consuetudine, buccas summa vi inflandi atque stloppo, ut sonum emittant, rumpendi. — Pers. I 58: „a tergo quem nulla ciconia pinsit" i. e. cui absenti nemo maledicit; quae translatio sumpta est a more ita formandi digitos post tergum hominis irridendi, ut rostrum crepitantis imitentur ciconiae, quod signum antiquis habebatur ludificationis. — Signum maximae despicientiae acerbissimaeque irrisionis habebatur ea vultus distorsio, quae vocabatur sanna; itaque in Pers. s. I 62 „postica sanna" positum est ad acerbissimam irrisionem significandam („posticae occurrite sannae"). — Iuv. X 53: pro „despicere", „nihil curare" locutio usurpata est „alicui mandare laqueum" („cum Fortunae ipse minaci mandaret laqueum"); nos vulgariter homini nequam, quem despicimus atque neglegimus, dicere solemus „*häng' dich lieber auf*" vel „*geh' zum Henker*". Porro ad irrisionem permagnam significandam ib. locutio invenitur „alicui medium ostendere unguem", quae posita est in illo, quod homines ad eum, quem exponebant contemptioni risuique, medium intendebant digitum (nostrum „*mit dem Finger auf jem. weisen*"): cf. Pers. II 33: „infami digito". — Pers. IV 35: „despuere in mores" pro „mores acriter vituperare atque perstringere". Cui metaphorae subest, quod

*) cf. Hor. sat. II 3, 246: Sanin? creta an carbone notandi?
Hor. carm. I 36, 10: Cressa ne careat pulchra dies nota.

**) Mart. XIII 17: Ne tibi pallentes moveant fastidia caules,
Nitrata viridis brassica fiat aqua.

antiqui se omnia quaecunque male ominata vel fascinantia videbantur despuendo arcere posse putabant. Cum autem omnia fascinantia essent contumeliosa, despuere signum erat despicientiae fastidiique atque idem significabat quod „aspernari atque acerrime reprehendere“. Simili translatione nostrum „*anspeien*“ usurpari potest. Eodem pertinet „respuere“: Pers. IV 51 („Respue, quod non est“). — Pers. II 13: „expungere“ i. e. „delere, quod in tabulis ceratis scriptum est“ pro „de medio tollere“ („pupillumve utinam, quem proximus impello, expungam!“); homo exturbatur ex numero vivorum *(jem. wird aus der Zahl der Lebenden gestrichen)*. — Pers. II 1: „Hunc diem numera meliore lapillo“ i. e. numera felicem; quae locutio posita est in Scytharum more quovis die, prout vel laetum vel infelicem censebant actum, calculum aut album aut atrum pharetrae immittendi; quos calculos post mortem propinqui dinumerabant, ut viderent, utrum vita mortui fuisset maximam partem felix an infelix. — In s. V 24 Iuvenalis ad vinum malum significandum locutione usus est „vinum, quod sucida nolit lana pati“, posita in eo, quod lana recens tonsa vino et oleo lavabatur (Varro r. r. II 11). Heinrich ad l. c.: „*Um Grüneberg in Schlesien würde es heissen: Ein Wein, womit man die Kinder zu Bette jagt*“. Alia locutio vulgaris est: „*ein Wein, um Ratten zu vergiften*“. — Iuv. VI 612: „valeant mentem vexare mariti et solea pulsare nates“. Quae locutio, petita a poena nates puerorum caedendi, in proverbii consuetudinem venisse videtur de uxoribus, quae maritos eodem loco habebant quo pueros atque eis omnibus in rebus imperabant (nostrum „*unter dem Pantoffel halten*“). — A facibus, quae in sponsae praeferebantur deductione, deprompta est locutio Iuvenaliana (VIII 139): „claramque facem praeferre pudendis“ i. e. res pudendas in medium proferre atque castigare; nos: „*etwas beleuchten*“. — Iuv. X 109: „ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites“ dictum est ad significandum Caesarem, qui libertate oppressa summum imperium obtinuit populi Romani omniaque sua voluntate gubernavit ac moderatus est, ut Quirites essent tanquam servi. Locutio Germanica „*Knutenwirtschaft einführen*“ eodem in usu translato versari potest. — A more nectendi „contexere“ petitum est in locutione „moechos . . . poterit contexere cursu“ (Iuv. XIV 27) i. e. celeriter et deinceps numerare; nostrum „*aneinanderreihen*“. — Ad postremum commemorentur verba Iuvenaliana (XIV 209) „hoc discunt ante alpha et beta“ i. e. praemature. —

Sequantur translationes a **fabula vel notione aliqua antiquorum propria** sumptae. Pers. IV 24: de eis, qui non sua, sed aliorum tantum vitia vident, dictum est „praecedenti spectatur mantica tergo!“ Cui metaphorae subest fabula illa Aesopi, unumquemque hominem duas ferre manticas vitiis impletas, alteram, in qua aliena vitia insint, pendentem supra pectus, alteram, in quam propria colligata sint, in tergo, ut praecipue videamus aliena vitia, quae praecedens habeat in tergo. Nos locutione utimur „*den Splitter in des Bruders Auge sehen und des Balkens in seinem eignen Auge nicht gewahr werden**)“. — Pers. V 34: „error deducit trepidas ramosa in compita mentes“; compita significant bona et mala, inter quae eligenda fluctuat mens. Quae imago referenda ad Herculem illum Xenophonteum recepta est in sermonem Germanicum („*am Kreuzwege stehen*“). — Iuv. XII 58: „digitis a morte remotus quattuor aut septem“; quam locutionem, positam de homine, qui in alto versatur in summo vitae discrimine, revocandam esse ad dictum Anacharsis Scythae verisimile est: *μαθὼν τέτταρας δακτύλους εἶναι τὸ πάχος τῆς νεώς, τοσοῦτον ἔφη τοῦ θανάτου τοὺς πλέοντας ἀπέχειν* (Diog. Laert. I 8). Similiter nos dicimus „*wenige Schritte vom Grabe entfernt sein*“. — Quo loco commemorentur verba „trunco simillimus Hermae“ (Iuv. VIII 53), usurpata ad hominem significandum nobilem, qui magno stupore atque inertia est. Hermae enim, carentes perfectione statuarum artificiosa, antiquis erant signum inertiae atque stultitiae; in trunco eandem fuisse notionem, ex nonnullis scriptorum locis (Cic. n. d. I 30, 84: „qui potest esse in eiusmodi trunco sapientia?“ Cic. Pis. IX 19; Ov. am. III 7,15) dilucide apparet. Eodem in usu versatur „imago“ (ib. 55: „illi marmoreum caput est, tua vivit imago“). Nos substantiva „*Klotz*“ et „*Bildsäule*“ item metaphorice de hominibus stupidis usurpare possumus. —

Non parvus translationum numerus assumptus est a **mercatura** rebusque ad eam pertinentibus. Pers. I 6: translatione a trutinae lance sumpta, quae in pendendo tollat leviora, „elevare“ dictum est pro „obtrectare“, „damnare“. Porro a trutina petita sunt verba „trutinari“ (Pers. III 82), „in

*) Quae imago petita est ex euang. Matth. 7, 3.

trutina suspendere" (Iuv. VI 437), „pendere" (Pers. I 30), „expendere" (Iuv. X 347), „librare" (Pers. I 86), quae idem significant atque „aestimare", „accuratissime examinare"; nostrum „*abwägen*". Eodem addenda sunt substantiva „examen" i. e. iudicium (Pers. I 6) et „trutina" i. e. aestimatio, examinatio (ib. 7). — Pers. IV 10: „Scis etenim iustum gemina suspendere lance Ancipitis librae", i. e. tu cognoscis acri tuo iudicio bonum, atque, ubi id cum malo artissime cohaeret, quanquam difficillimum est, secernere non dubitas. Quae metaphora assumpta est ab librae lancibus, quae tam aequo pondere pendent, ut anceps difficileque iudicium sit, quorsus vergat ligula. Pers. V 105: imagine ab auro, quod saepe aere corrumpebatur, petita de eo, qui externam hominis speciem a vitiis sub pectore occultis discernere didicit, dictum est:

„. . . et veri specimen dignoscere calles,
Ne qua subaerato mendosum tinniat auro?" —

Pers. V 20: translatione usitata atque nobis item licita dictum est „dare pondus fumo". — Pers. V 121: „semuncia recti" i. e. minima pars recti. Nos minimam alicuius rei partem item nomine minimi ponderis significare solemus. — Similis est usus adiectivi „tressis", quod proprium rerum, quae tribus constabant assibus, translatum est ad homines significandos pravissimos; ut in Pers. s. V 76 „non tressis agaso" significat agasonem nequam; nostrum „*nicht einen Heller wert*". — Pers. II 3: „prece poscis emaci", quia homines deos, ut optata expleant, sacrificiis atque pollicitationibus moveri posse existimant. — Pers. VI 75: „Vende animam lucro" ad avaritiam hominis ardentem illustrandam usurpatum est. Nos: „*für Geld sein Leben lassen*". — Iuv. IV 91: homo veritatis diligentissimus significatur verbis „qui posset . . . vitam impendere vero". — Iuv. VII 135: „vendere" pro „commendare" („purpura vendit causidicum, vendunt amethystina"). — „Redimere" metaphorice positum est de Crispino illo in locutione Iuvenaliana (IV 2): „monstrum nulla virtute redemptum a vitiis" i. e. „in quo tot vitia nulla virtute compensantur" (Heinrich). — Translatione ab argento signato petita dictum est „qui communi feriat carmen triviale moneta" pro „qui carmen componat triviale". Nos: „*ein Gedicht von gewöhnlichem Gepräge münzen*". — Iuv. III 220: „hic (sc. dabit) modium argenti"; modius, quae certa frumenti mensura est, significat magnam vim. Nostrum „*Scheffel*" eadem translatione usurpari potest. — Iuv. XIII 8: „iacturae onus" dictum est de damno permagno, quo homines tanquam onere oppressi pereunt. — Postremo commemorentur nonnullae adiectivorum translationes usitatissimae: „vilis" pro „inhonestus" (Iuv. V 4: vilis Galba); „gravis" pro „animum offendens" (Iuv. I 163: nulli gravis est percussus Achilles), pro „molestus" (Iuv. 647: iam gravis es nobis), pro „tristis" (Iuv. XI 12: vultus gravis), pro „severus" (Iuv. X 325: Quid profuit immo Hippolyto grave propositum?). —

Videamus nunc, quae translationes **ab utensilibus,** quibus utuntur homines, petitae sint. Pers. V 70 sq.: „Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno
Vertentem sese frustra sectabere canthum,
Cum rota posterior curras, et in axe secundo".

Quae verba dicta sunt de eo, qui, cum propositum statim non peragat, sed semper se consoletur verbis „cras hoc fiet" (ib. 66), more rotae posterioris, quae priorem quamvis sub uno eodemque temone se vertentem tamen spatio interposito contingere non potest, animi infirmitate ac moribus pravis obstantibus „cras" suum numquam assequitur. — Iuv. I 51; „Haec ego non credam Venusina digna lucerna?" i. e. satira. Schol.: „lucernam dicit, quia satirici ad omnium vitia quasi lucernam admovent, et ut adurant, et ut ostendant crimina. Venusinam autem ideo, quia haec fuit civitas Horatii"; quae interpretatio commodissima est. Locutionem „Venusina lucerna" referendam esse (cf. Heinrich ad l. c.) ad versum Horatianum (Ep. II 1, 113) „et prius orto Sole vigil calamum et chartas et scrinia posco" atque hoc loco significare poetae lucubrationem, mihi quidem persuaderi non potest. — Iuv. I 95: „sportula", quae significat corbem, qua clientes cenam a patronis acceptam domum ferebant, in usu est pro stipe, quae aetate Iuvenalis clientibus ciborum loco distribuebatur. — Pervulgata est metaphora substantivi „tormentum" ad dolorem animi significandum cruciatumque (Iuv. II 137). — Imagine audaci atque quaesita in Iuv. s. III 108 dictum est: „si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo" i. e. si

pepederit. Qua in locutione trulla aurea est venter divitis, qui fundum habet anum (cf. Heinrich ad l. c.). — Iuv. IV 128: spinae rhombi magnae vocantur „sudes"; quae metaphora in sermone Germanico item usurpari potest. — Iuv. VI 370: „iam pectine nigra"; pecten significat pilos, qui nascuntur circa pudenda. — Iuv. VIII 50: substantivum „nodus" translatum est ad res intellectu difficiles („qui iuris nodos solvat"). Nostrum *„Knoten"* in eodem usu translato versari potest. — Metaphora usitatissima „mensa" ponitur pro cena (Iuv. VI 630; XIII 211); nostrum *„Tisch"* pro *„Mahl"*. — Iuv. XVI 50: „sufflamen" pro „mora". —

Quo loco translationes commemorentur **ab aedificiis eiusque partibus** assumptae. Eadem qua nos utimur metaphora ianua posita est pro aditu in Iuv. s. III 4: „ianua Baiarum". — Iuv. III 39: „quales ex humili magna ad fastigia rerum extollit" (sc. Fortuna); nos: *„Gipfel des Reichtums"*. Notio fastigii nomine „cumulus" expressa est in locutione „aerumnae cumulus*)" (Iuv. III 209), cui respondet nostrum *„Spitze"* vel *„Krone des Leidens"*. — Iuv. IV 132: „murus" significat marginem patinae. — Metaphora a tecto in fulturis posito petita est in Iuv. s. VIII 77 de homine, qui aliorum fama nititur quasi columnis: „Miserum est aliorum incumbere famae, Ne collapsa ruant subductis tecta columnis". Quae sententia alia imagine illustratur ib. 78: „Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos". — De homine, „qui nimios optabat honores et nimias poscebat opes" dictum est in Iuv. s. X 105 sq.: „numerosa parabat Excelsae turris tabulata, unde altior esset Casus et impulsae praeceps immane ruinae"; quo loco permulti honores magnaeque opes, quae comparantur, tanquam tabulata sunt, quibus hominum dignitas et res familiaris augetur in turris altitudinem. — Iuv. XI 13: translatione ab aedificio, quod ruinam minatur, petita homo, quem, cum in aere vacillet alieno, brevi conturbaturum verisimile est, dicitur „cito casurus iam perlucente ruina". —

